

1378 gittarum usus fuit: gladiis, contis, harpagonibus cominus congressi utebantur. Prælium, mari cæloque strepenti-
bus, in duas ferme horas distractum: demum Genuensium
fortuna inclinante, quatuor media pugna dilapsis, reliquæ
cum Lodovico captæ: quarum una littoribus impacta si-
ne remige venit in Victoris potestatem. Capti cum ipso
classis præfecto nobiles Genuenses duodeviginti, remiges
fociique navales octingenti, sexcenti cæsi. Nec Veneto vi-
ctoria incruenta fuit, multis ex singulis turmis quæ con-
fluxerant cæsis, pluribus vulneratis, et in his Zacharias
Gisius. Fescius, & alii nobiles cum dimidio captivorum
Venetias missi, reliquos in Cretam ipse Victor abduxit.
Sed cum circa Methonem oram Peloponnesiacam lege-
ret, obvias habuit sex illas triremes, quas in Cretam, ut
remige instruerentur, missas docuimus. His acceptis, in in-
sulam venit; unde postea ad decem Genuensium triremes,
quæ apud Byzantium superiore hyeme fuerant, opprimen-
das profectus, quum in Eubæam venisset, comperit ho-
stium naves insulam prætervectas Genuam versus abiisse.
Converso itaque retro celeriter cursu, abeuntem Ligurem
aliquandiu insequi perstitit, quanquam ille sua celeritate
multum pelagi emensus jam in tutum abierat. Dum hæc
mari geruntur, Carrarius Princeps interim suo & Lodo-
vici nomine arma Venetis intulerat, prædicans, nihil a
se perfide fieri, nihil contra jus gentium, quod præter fi-
lii jusjurandum Venetis arma intulisset: oportere se Lo-
dovico Regi, in cujus fide esset, vel nolentem parere.
Aquilejensis Antistes & ipse bellum indicit. Tot uno tem-
pore bella ad evertendum Venetum imperium coorta sunt,
quum nullum interea Venetus neque auxiliarem quem-
piam, neque socium, præter Bernabovem Vicecomitem,
& Petrinum Cypri insulæ Regem, ad tantam armatorum
hostium tempestatem sustinendam haberet, quanquam Re-
gis opera nunquam, Bernabovis vero ad oram Ligusticam
infestandam aliquandiu usus sit. Suis itaque non alienis
viribus stetit res Veneta toto belli tempore, quod vix,
re Veneta incolumi, futurum credi potuisset. Uno igitur
tem-

*Venetorum
hostes plures
uno tempo-
re.*